

pius, qua ratione ductus aliquem gloriæ gradum illis assignat? an vero aliquid coinquinatum introire potest in Dei Regnum? si nullius culpæ reos dicit, cur aliquem gloriæ gradum, non integram beatitudinis plenitudinem illis concedit? potestne Deus miseriam creaturarum velle, quin ipsæ mereantur?

S C H O L I O N II.

Non oportet, inquit *Sociniani*, ad ostendendam Baptismi necessitatem, argumenta comminisci. Verba Evangelii *Matth. 28. Baptizantes eos in nomine Patris &c.* figurate & metaphorice sunt accipienda: quod inde patet potissimum, quod *Apostolus 1. Cor. 1.* fatetur, se missum non fuisse ad baptizandum, sed ad evangelizandum. Deinde: in Actibus Apostolorum multi leguntur, qui vere Christiani fuerunt, nec tamen legimus ubi, quando, & a quonam baptizati fuerint. Apollo, septuaginta Discipuli, centum & viginti illi, de quibus *Act. 1.* quingenti illi Fratres, qui Christum viderunt, postquam a mortuis resurrexit, imo & Apostoli ipsi Baptismum non receperunt; nec enim legimus ubi, quando, & a quonam baptizati fuerint: Tandem si necessitate mediæ necessaria est Baptismi ablutio, necessitate quoque mediæ urget præceptum recipiendi Eucharistiam; ille enim qui dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*, pariter dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis.* Sed hoc est falsum; falsum ergo, Baptismum necessarium esse necessitate mediæ ad æternam salutem consequendam. At hæc a studio magis contradicendi, quam a sincero veritatis amore procedunt. Prima Socianorum objectio nimis est frigida; nam illis verbis *euntes docete, baptizantes eos &c.* primo quidem prædicationis officium, mox vero baptizandi munus Apostolis suis Servator noster injungit. Duo illic officia, duo distincta munera continentur: quod etiam patet ex sequentibus verbis: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Si figurate, & metaphorice illa verba sunt accipienda, Evan-